



## POSITIO. I.



Um Natura ipsa inter homines cognationem constituerit, neque nobis solis nati sumus, sed in adiutorium mutuum, ut congregemur & inuicem profimus, a) efficitur inde hominem natura animal πολιτικόν & ἀγαλασικόν esse. b.)

a.) Cicero. l. 1. offic. Unde Scalig. l. 4. Poeticæ c. 16, hominem ἀπὸ τῆς φύσεως deducit.

b.) Aristoteles 1. polit. c. 2. de qua causa Plato in politico, Politicam appellat ἀγαλασικὴ φύσιν.

### II.

Vita igitur solitaria & monastica naturæ aduersa, & μισάνθρωποι Timones naturæ quidam hostes, & quia utiq; non Dij, iudice Aristotele 1. Polit. c. 2. Beluæ sunt.

### III.

Ex quo ipsam quoq; ciuitatem à natura esse, quod præsertim ab hac partes eius ortum trahant, consequitur.

### IV.

Finis ciuitatis præcipuus, qui bonum eius per se respicit & ad quem cæteri omnes, (ut sunt victus, usus ac commutatio rerum, vitæ iucunditas & commoditas, deniq; pax securitasq; &c.) referendi, rectè ab Aristotele sola virtutis actio constituitur.

### V.

Considerari hic potest materia & forma. Materiæ rationem habent ipsæ personæ congregatæ, quarum principem partem faciunt ciues, quibus in vulgari Republ. opifices etiam sordidos accensemus.

probanda videretur eorum sententia, qui feminas hic gravius peccare existimant, cum presertim quadantenus a viro potius hic magis delinqui, non absurdè defendi posse videatur.

## L I.

Μέθῃ κακίας μήτηρ καὶ ἀρετῆς ἐναυσιώσως inquit Basilius, Rectè igitur Pittacus, ut & constitut. Electoral. Palatinatus tit. 1. §. 3. Ebrium delinquentem grauiori pœna quam sobrium afficiendum sanciunt.

## L II.

Denique controvertitur: Num liceat deceatq; in euentus inquirere? Nos distinguimus,

*Indiciis aut notis, quas vir prudens ex lectione, usu, & obseruatione similium collegerit aliquid suspicari aut præsumere de factis licere: sed caute & timide. At ex artibus magorum, ariolorum, diuinorum (& quod aliud tale hominum genus in Republ. minime ferendum) id verò nefas esse, nec diuina aut humana lege permissum.*

## PROBLEMATATA

## I.

**A**N vera Nobilitas virtute potius quam genere aestimanda ac definienda sit?

*Difficilis hæc questio variisque sententiarum diuortiiis oppugnata. Vt igitur eo clarius illum decidamus, duplicem statuimus nobilitatem Alteram Philosophicam, alteram Politicam. Illam dicimus quæ ex animo ac virtute aestimatur, & ubique una & certa est, cui etiam Stoici nobilitatis nomen proprium faciunt. Vnde eorum paradoxon: Solos sapientes nobiles, ceteros omnes ignobiles esse. De hac Seneca Ep. 44 & prolixè Iuuenal. sat. 8. Ac Plato, ut scribit Laertius in eius vitâ, illud Nobilitatis genus præstantissimum*

*imum*

*mum iudicavit, cum quis per se animi magnitudine excellat. Phalaris irē primus ille quidem Agrigentinarum Tyrannus sed doctus, Axiocho interroganti, quid de nobilitate sentiret, respondit: Gloriarī de nobilitate ut de alio quouis bono non inconcinnū. Ego autem unam nobilitatem virtutem scio, cetera fortunam. Nam humili genere natus, ut bonus, ita regum & omnium nobilissimus fieri potest. Contra aliquis parentibus probis natus, malus evadere potest; ac tum seipso tum vilissimis quibusve ignobilior. Igitur de laudibus animi gloriaris, non de maiorum nobilitate in obscuriori posteritate iam extincta. Unde Gallorum etiam laudabile viget dictum. Nous ne disons pas qu' aucun soit noble à cause de la noblesse de sa naissance, mais pour l' excellence de sa propre vertu. Hanc verò, nobilitatem politicam, definimus claritatem & eminentiam quandam, per quam quis legibus aut moribus huius vel illius Reipubl. ab aliis vilioribus aut inferioribus distinguitur. Causam habet principalem virtutem, unde Aristoteles l. 3. pol. c. 8. Nobilitatem definit virtutis præmium. Estque ea virtus vel moralis vel intellectualis quam Aristoteles vocat eruditionem, & utraq; vel vera vel præsumpta scilicet per gestionem honorum & magistratuum & iterum virtus vel propria vel aliena scilicet maiorum, qua nobilitas à genere & sanguine pendet. 1. quia mores sequi solent temperamentum corporis & Fortes creantur fortibus 2. quod liberi præsumantur amulari virtutes paternas, quoniam ad similitudinem suorum excellens quæque natura rapitur. 3. ut propter amorem summum parentum erga liberos alii ad virtutis studium excitentur, cuius fructum ad totam progeniem perventurū sciunt. Secundariam sive causam adiuvantem habet diuitias, eas tamen antiquas, bonisque artibus partas. Nam haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi Hinc Aristoteles l. 1. pol. 1. Nobilitatem definit diuitias antiquas cum virtute. Cum autem optima rei pessimus sit abusus etiam hanc degenerare nobilitatem videmus in barbaricam, si nempe 1. pure generi sanguinique imputetur, & aded in infinitum*